

madefacto, phagedænas ulcerum sanare.  
Eiusdem salis vis est cum fuligine nostratum puerorum verrucas frictione arcere.  
Eiusdem salis vis est intingendo linteolum excrescentia ulcera, vel putrescentia multorum curare. Item imponendo cum tela aranearum vulgo leuioribus vulneribus mederi. Item imponendo cum melle & farina luxationi. Item Smegmati addendo cutem extendere leuareq;: sic Galenus recens nati infantuli corpus modico sale insperfit, quo cutis eius densior solidiorque reddita iniurijs externis minimè obiecta esset. Eiusdem salis vis est miscendo medicaminibus faciei cutis nitorem facere, sed ad sugillationes faciei prodesse etiam. Furunculos cum vua passa aut suillo adipe, vel etiam melle discutere. Eiusdem salis vis est medicamentis additi iuxta veterum opinionem, temulentos cum oleo perunctos ab ebrietate præseruare. Item excrescentias in oculis reprimere. Pterygia consumere, cæteras carnis exuberationes tollere, ideoq; collyrijs emplastrisq; additio eius perutilis. Ex ictu vero suffusis cruore oculis, sugillatisq; vnà cum myrha pari pondere ac melle aut cum hysopo ex aqua calida

lida